

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
ANATOMICAM VENEFICII ARSENICO
PERACTI INVESTIGATIONEM
SISTENS;

QUAM

ANNUENTE EXPER. FACULT. MED. IN ACAD. IMPER. ABOËNSI,
PRÆSIDE

GABRIELE BONSDORFF,
Phil. & Med. Doct., Archiatro Imperiali, Anat. & Physiol. Prof.
Publ. & Ord., Imper. Coll. Medic. Fenn. Praefide,
Ordin. de St. Wolod. in 4:a Cl. Equite,

Publicæ disquisitioni submittit

JACOBUS WEGELIUS,
Philos. Mag. & Medic. Licent.,
Satellanus in Oravae Paroeciae Voro.

In Auditorio Med. die XXIX Octobris MDCCCXVII.
h. a. & p. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
ANATOMICAM VENEFICII ARSENICO
PERACTI INVESTIGATIONEM
SISTENS,

Prooemium.

Quemadmodum Ignis, subtilissimum illud & totam natu-
ram reficiens caloris & lucis principium, sive in obscura
& per angusta delitescat scientillula, sive in coruscum & fla-
grantem exarserit facem, a placido & tempestivo aëris accesu
nutritur & concitata fulget, a rapidissimo autem & supra mo-
dum violento ejusdem torrente suffocatur & extinguitur; ita
etiam vitales, quæ primarium constituant vitæ humanæ funda-
mentum, corporis organici vires, a primo usque earumdem
in embryone ortu ad postremam vitæ cum morte commutatio-
nem, a blandis & opportunis incitabilis læte soventur &
vigen, a repentinis vero, inimicis & æstuancibus stimulis obru-
tas & oppresas cito citius succumbere & exhaustiri attenta re-
rum, quibus vel inoffensam pascimus animatam nostram ma-
chinam vel eidem afflictæ medemur, earumque effectum abun-
de quidem docet consideratio & experientia. Nullo tamen
graviori argumento firmatur incitamentorum in vitam & vires
vitales imperium, quam venenorum & veneficiorum historia.
Immensa scilicet & supra omnem nostram cogitationem multi-
gena natura, varia, ut pestiferas taceamus lues, virosa &
inoxiis mirabiliter interficta progenuit minerarum, plantarum
& animalium genera, quæ particulis aut fluidis aut solidis sol-
ubilibusque scatent, tantæ tamque præseniance perniciei, ut
vix corpori nostro sint vel extus admota vel intus ingesta
priusquam ingenita irritaminis sui vehementia horrendas, in

A

pla.

placidissimo virium & motuum vitalium ministerio, & haud raro exitiales excitaverint turbas; peruisit idem humanæ fortis moderator illam morum & conatuum pravitatem, insidiosam persidiam & crudelitatem, ut vel ex deliberato consilio vel accusante scelerum conscientia vel vitæ infeliciter & misere transactæ tædio, vel mentis varietate & quocunque furore in propriam vel subdola cupidaque calliditate vel odio & vindicta in aliorum ut plurimum innocentium vitam sœvientes, dira hæc turpisimæ necis instrumenta e naturæ vel artis latebris eruant, & manu impia aut sibi aut aliis, modo meraca modo alimentorum potulentorum vel medicamentorum blanditiis clandestina fraude immixta propinent haud pauci plusquam detestabiles furtivæ occidionis auctores & artifices. Hisce autem vitæ & sanitati humanæ infestis & exitiabilis insidiis atque ferociis cum venena mineralia & in his, quod principi loco tenendum, Arsenicum oxydulatum album (acidum Arsenicosum *Fourcroiy c. cæt.*) apprime inservire fit deprehensum, partim quod minutissima portione exhibitum velocissimam & ut plurimum certissimam potentissime parare valeat vitæ stragem, partim etiam quod vilissimo pregio fit vendibile, quod in subtilissimum pulverem faccharo haud assimilem contritum in aquosis potionibus præsertim calefactis facile sit solubile, quod saporem imprimet subdulcem & ægre suspiciendum, quod in copiosa aqua probe solutum nullum singularem colorem, odorem nedum saporem peregrinum & nauseosum offerat experiundum, quod in infectis potionibus & ferculis vi ponderis sui subsideat potius quam in conspectum supernatet, quod propterea facili negotio fucari & occultari possit; dolendum magis est quam mirandum, Arsenicum in veneficiorum apparatu & supellefili tot fraudi obumbrandæ convenientibus dotibus conspicuum ab antiquissimis retro temporibus, in testatissimam humani generis perniciem, ad turpisima homicidia perpetranda suscepturn fuisse & adhibi-
tum.

tum. In tanta igitur tamque implicata & abscondita assumpti vel dolose insinuati arsenici ambiguitate, quam insuper actionum corporis lesiones & partium internarum infectiones, cum aliis beneficiorum generibus communes & conspirantes permultum adaugent, permagni fane interest, ut vera indubitateque indicia & signa, quibus beneficia arsenicalia dignosci poterint & in questionum forensium gratiam dijudicari, a proba symptomatum mortem praेuentium exploratione & corporis mortui exactissima sectione & perlustratione anatomica deducantur & ad fidem accommodate confirmantur. Atque in hoc perarduo & difficulti momento perscrutando & explicando, manum & mentem admovendi exercendique cum nobis haud ita pridem in Theatro Anatomico oblata fuerit larga opportunitas, congruam Dissertationis Inauguralis Medicæ (*) materiem non potuimus non amplecti & ad discutiendum suscipere; singulare pernicioſissimi arsenici albi in corpus humanum effectus exemplum anatomica corporis arsenico interemti disquisitione, & investigatione, expetita Benevoli Lectoris gratia, mox proposituri.

§. 1.

Triennium & quod excurrit, est transactum, dum nobis ad disquisitionem Anatomico-forensem a Superioribus delatum erat exanimum corpus sceleronis, qui sub publica, cui maxima stipatus vulgi frequentia ex decreto Judicium prostitutus fuerat, mox gravissima virgarum poena tergo plœndus, ignorinia vitam scelestissimam cum repentina morte commutaverat.

A 2

Hu-

(*) Prodit tandem in publicum Dissertation, anno jam dudum 1807 pro subeundo Examine Medicæ Practico conscripta & Experientissime Facultatis Medicæ censura munita.

Hujus autem per totam regionem famosissimi templorum, te-
 atorum totiusque ruris, cui nomen JOHAN SNELLBOM, prædo-
 nis, hic spectantia vitæ & præfertiæ supremæ diei memora-
 bilia in antecesum ex relatis præmonuisse interest. Ætatis
 jam impleverat annos triginta sex, statura corporis commoda
 & constitutione præditus robusta, inoffensa semper gavisus va-
 letudine, ex ephebis vix egressus militie equestris adscriptus,
 sed propter improbitatem morum & perfidiam dimisus, fur-
 tis deinde & latrociniis nocturnas operas usque adeo assiduas
 impendens, ut pluribus jam parciis formidinem injecerat
 dum tandem cum pluribus sociis captus, scelere convictus &
 ad Legum rigorem damnatus, ad supremum virgarum suppli-
 cium subeundum, e carcere ponderolis compedibus ferreis vin-
 etus die V:o Martii duceretur. Priusquam vero virgis esset
 percutiendus ipse prædatorum Dux, eidem incubuit, catenis
 ad palum supplicii alligatum, aperto loco juxta viam regiam
 & pagum Vätilä in Parœcia Pikenſi, dedecori & justæ totius
 plebis reprehensioni, duarum horarum spatio, coram prosta-
 re; quapropter, ne gravitate compedium, quæ centum libras
 continebant, altissimæ & vento cumulatae nivi, (nam nivosa
 præierat tempestas) pedes immergeret & congelaret, pedamen-
 tum ligneis asibus contabulatum, quo juxta palum infisteret,
 lictorum cura substernebatur; quo sustentaculo parato reus,
 quem interea, ut ad summam tam supplicii quam imminentis
 frigoris acerbitatem sufferendam præmunitus esset, fat largam
 spiritus frumenti, cui valde erat deditus, portionem confan-
 gvineorum quorundam misericordia apportatam, in tugurio
 quo collocatus erat, exhauriisse asleverarunt plurimi testes,
 in scenam prodire adactus fuit & mox ferrea armilla, cui ca-
 tena palo infixa adnectebatur, subiecta tamen lana, qua col-
 lum amictum erat, fasciola, indutus & revinctus. Comparuit
 igitur, in parnaso suo bene merito, nebulonum facile Prin-
 ceps, debitibus a populo objurgationibus exceptus, ferox ardens-

que

que oculis, vultu torvo & inflato conspicuus, summa gestuum & verborum impudentia atque furore fere incomparabilis. Jam enim effrenatis affectibus & evaginata lingua in circumstantes spectatores contumeliose invehebatur; jam in adversarios & persecutores suos dirissimas effudit execrationes; jam infandis perjuriis & minacissimis contestationibus, quibus cuncta sacra violavit, intentato virgarum supplicio se masculine subdueturum fore arroganter spospondit; jam infernales furias, quas se dilucide coram intueri dixit, & digitis indicando in aere commonestravit, in subsidias & solamina impie effutiens provocavit; jam vehementissimo impetu, canis rabidi instar armillati, se sursum & deorsum jaegavit atque hue & illuc ita distorsit, ut vicissim palo valide concusso, vicissim capiti violentissime repercuso & palo impingenti sonorum injecerit tremorem; usque quo furoris sui aestu consumtus, horula sesqui quarta vix transacta, in summam frequentissimae plebis consternationem extemplo concideret exanimis velut iectu fulminis tactus; mox ab adstantibus, qui animi tantum deliquium supervenisse existimarunt, apparitoribus in adjacentem domum susceptus, & variis resiciendi subjectus conaminibus, quae vero in organismo tot tantisque violentiis concusso vitam resuscitare non valuerunt; quamobrem fœdas exuvias, mox vehiculo impositas, ad Praefecturam nostram Territorialem transmittere festinarunt executionis ministri fato usque adeo improviso perterriti, quorum fida & haud paucis testimentiis mox firmata de singulis ad historiam facti pertinentibus momentis narratione exhibita & litteris tradita, commenorabile hocce corpus ad sectionem legalem & accuratiorem mortis generis investigationem ut nobis deferreretur, non tam pas-
fimus quam in sinu gavisi.

§. 2.

In obscuram igitur, & primo mox intuitu suspectam ne-
cis

cis subitaneæ causam debita circumspetione jamjam inquisituri ab externo cadaveris habitu & partium superficialium conditione, investigationis nostræ ut duceremus primordia postularunt artis regulæ. Præbuit autem fœle conficiendum corpus quadratum, neque obesum neque gracile, quoad corticem integerrimum & illæsum, sed variis iisdemque notabilibus livoribus sparsim decoloratum. Amplissimus eorum, qui jam in nigrorem degeneraverat, terga occupavit, a nucha usque ad Ilia æquabiliter ad spithamæ latitudinem extensus; quem in cervice, crucis instar transcendebat magna & per omnem fere colli ambitum suffusa fugillatio subcutanea intense rubida. Qui in sinistro pectoris latere apparuit livor, a costa tertia ad decimam in pyri formam erat effulus, itemque multo pallidior. Accedebant numerosissimæ maculae & striae lividæ, variae figuræ & magnitudinis, quæ brachia & in priuis femora sinistri lateris reddiderant mirabiliter variegata & quasi tigrina. Facies erat valde tumida & inflata, cupreo lurida, & quoad sua lineamenta tantopere deformata, ut vultus nobis multoties, dum in vivis esset, perspectus ne conjici quidem potuit, multo minus dignosci. Oculi prominebant, sanguine intus suffuso, extus palpebris lividis circumcincti. Labia oris turgebant sparsis livoribus obsita; anguli vero jamjam disrupti nigricabant. Immo totam pubis regionem & præprimis scrotum fusco livore vidimus contaminatum. Præterea valde fluxa erat universa cuticula, & præfertim in livorum confiniis, scalpello vel ungibus contacta facile abrasa. Ungues digitorum tam manuum quam pedum livescere inceperant; cæterum adhuc suis radicibus tenaciter adhærentes. Capilli capitis & pudendorum crines erant tam caduci ut facile possent radicitus evelli. Plura igitur jam aderant externa signa, quæ suspiciorum veneficii habere solent; quamobrem ad interiores partes, & in his omnium primo vias alimentarias perlustrandas mox progredi incubuit.

§. 3.

Recessus oris pariter ac narium meatus, sordido & bilio-
fo parumque cruentato alimentorum squalore per vomitum
rejecto obruti & oppleti spurcissimum spirabant spirituofum
halitum; rejectaneis autem exactius revisis pulvisculis innata-
bat albicans, cuius indolem ut occasio suppeditaretur inquiren-
di, foedam istam colluviem ex antris oris & narium exprome-
re & in vitro, experimentorum instituendorum gratia asser-
vare mox duximus confultum. Interiores oris partes, gingi-
vae, buccae, velum palati molle, & ipsa lingua valde erant
inflammatae & purpurascentes, papulis & stigmatibus quibus-
dam nigricantibus foedata, & lingua in primis aphtosis eruptio-
nibus exasperata. Tonsillae turgebant & rubebant intensissi-
me, in dextro latere leviter excoriatae & cruentatae. Isthmus
faucium erat valde solutus & ampliatus, nec non cruentatis
erosionibus fauciatus. Pharynx cum supra Oesophagi parte
tota quanta inflammata, sparsim excoriata & sanguinolenta,
atque spumosa ventriculi spurcitie, quam in futurum experi-
mentorum usum, quoniam pulvisculi modo nominati, licet
pauciora exhiberet vestigia, quantum fieri potuit abstergere
& colligere studuimus, inundata & referta. Epiglottis tumi-
dulus & consfauciatus; rima glottidis hians & per illam reje-
ctae fordes inventriculos & cavitatem Laryngis illapsae. Ipsa
vero trachea usque ad descensum in cavitatem pectoris illæsa,

§. 4.

Quo vero sordidior esset ipsa nutrimentorum janua &
atrocior conditio instrumentorum deglutitionis, eo detestabilior
in reliquo concoctionis apparatu, quem proxime, ne scruta-
tionis series abrupta dehinceter, persequi debuimus, domina-
vit partium violatio & corruptela. Cavitate enim abdominis
non

non nihil distenti reclusa, mox in oculos ceciderunt manifestissima inflammationis & gangrenæ viscerum fere omnium indicia. Ventriculus jacebat collapsus sed quod membranarum substantiam solito firmior & densior, purpureis, flavicantibus & lividibus flammis, potissimum in sinistri curvaturæ majoris sede, per intervalla variegatus, vaseulis majoribus venosis turgidulis & atro-cœrulecentibus notatus, tunice tamen exterioribus integris & imperforatis obductus; faucibus ostiorum tam cardiae quam pylori tantulum constrictioribus circumscriptus. Sinus vero interior membranis disiectis evolutus, liquamine squaluit viscidio, bilioso & cruentato, cui laccinosa ramenta & candicantes squamæ innatarunt, foetorem teturrimum ad nauseam usque redolente; quo absterso & cum affuso tantillo spiritu vini caute abluto, vitroque vaseulo in ulteriorem inquisitionem reposio, intima ventriculi tunica, quæ villosa dicitur, tota fere quanta, præcipue versus fundum aut erosa & resoluta, aut usculata reperiebatur, & proinde universa superficies interna numerosis maculis nigricantibus circumdata. Duodenum erat similiter a prægressa inflammatione & suffusione biliosa subrubicundo luridum, interruptis quibusdam zonis lividibus externe vinclam, rigidum & extenuatum, sordida illuvie, gastrico squalori, præterquam quod paucissima pulvisculi immixti offerret vestigia, haud absimili intrinsecus pollutum, rarioribus tunice villose erosionibus exesum & cruentatum, tribus tantum, quæ curvaturas occupasent, gangrenosis maculis infectum. Tenuis autem nou nisi prior & duodeno vicinissima pars, cui jejunii nomen impositum, violentam istam perpesus erat incitationem, tanto leviorem, quo longius a duodeno remota. Neque in superficie externa, quæ bilioso tantum sanguine suffusa erat, conspicua exstiterunt livoris gangrenosi vestigia; neque in ipso canali, qui chymo minus conspurcato scatebat, vel erosiones tunice villose vel pulveris reliquiæ detegi potu-

potuerunt. Reliqua intestina, & in his quæ crassa audiunt, cæcum scil. colon & rectum, luridam circumferebant a bilioso valorum infarctu flavedinem, cæterum flatulentis fæcibus magis vel minus distenta. Omenta tam gastrocolicum quam gastrhepaticum, parciori pinguedinis copia onus, pariter ac Pancreas manifesta, a valorum consensu & communī origine pronata, ruboris inflammatorii signa pœbuerant conspicienda. In insigni autem Hepatis viscere ea apparuit diversitas, quod lobus sinister una cum adjuncto lobulo Spig. lii nigrorēm gangrenosum & putredinosam substantię fragilitatem jaujam induxerat; dexter autem quoad maximam partem inflammatoriam ast luridam conceperat imaginem. Velica fella prorsus exhausta, prostrata atque flaccida, luridam pœculit faciem; vasa itidem bilifera ab omni biliolo succo vacua. Væculosa Spleenis moles, sanguine inflammato mirum quantum ebria, ruborem suscepérat extrinsecus & intrinsecus infuscatum. In hoc tamen declarato viscerum, ut nuncupari solent, chylopojetorum inflammatorio statu, nostram non potuit non movere attentionem singularis sanguinis fluiditas, dissolutio & inopia in majoribus hic pertinentibus valorum truncis & ramis tam arteriosis, quam venosis, ex quibus arteriae hepaticæ sinistre erigo ab arteria coronaria superiori, utpote manifesta corruptionis lobii sinistri hepatis causæ, hancquam silentio est praetereunda. Officinas tandem & receptacula urinæ, simulaque generationis instrumenta quod attinet, præter biliosum, quem communiter cum toto viscerum abdominalium comple Xu sustinuerunt, habitum nullam in iisdem observare licuit aliam perniciösam labem.

§. 5.

Exstispicio abdominali in manifestam causæ subjectie lucem peracto, ad pervestigationem viscerum, quæ in pectoris

B

re-

recessibus reconduntur, transire vasit receptus sectionis legalis ordo & instituti ratio. Seruo igitur cum adnexis cartilaginibus costalibus ablato, inoffensam tam pleuræ & mediaстini quam utriusque pulmonis incolumitatem experti, ad sanguinis scaturiginem involucro perfecto mox proprius accessimus. Delituit autem in Pericardio suo argutum & integerrimum cor, aquula sua serosa incorrupta irriguum, mirum tamen quantum pallens & quasi prostratum, collapsis tam auriculis quam venarum sinibus; interioribus vero latebris referatis, prorsus inexpectata nosmet percullit sanguinis penuria, non tantum in ventriculis, qui paucissimas sanguinis, easdemque valde fluxas continebant guttulas, verum etiam in atriis & magnis vasorum truncis. Sinus scil. anterior, quem confluentes venæ cavæ effingunt, una cum sua auricule cavea continua, vix unciam dimidiam sanguinis resoluti & nigrantis inclusit; vena cava superior sere exinanita, inferior autem tenui & perparva sanguinis unda perfusa. Sinus posterior & eidem subjecti venarum pulmonalis rivuli eadem laborabant sanguinis attenuatione & penuria; tantoque major in arteriæ Aortæ & pulmonalis faucibus vacuitas. In hoc igitur usque adeo exhausto cordis & vasorum statu, e re esse judicavimus pervidere, an vasa intra pectoris oras disrupta tantam sanguinis copiam effudiscent. Cunctis autem integerrimis & illæsis repertis, incomprehensibilis adhuc permanit commemorata sanguinis jactura, cuius proinde causam ulteriori disquisitioni, ad reliquarum partium, quæ adhuc in thorace intacta fuerunt, indagationem progresuri, misimus commendatam. Diaphragmate diligenter perlustrato, posteriorem oram limbi sinistri manifesta pervaserat inflammatio; neque in dextro latere defuerunt suffusionis inflammatoriae primordia. In dilco autem & anteriori septi transversi plaga nullæ comparebant aberrationes sanguineæ. Canalem Oesophageum, qui per posterius mediaстini intervallum decurrit, vehementer vidimus inflamma-

tum,

tum, interne hic & illic exulceratum vel erosum, sœdaque illuvie, qualem in supremo ejusdem limine notavimus, squamidum.

§. 6.

Supremam vero manum sectioni & investigationi nostræ Anatomicæ imposituris nobis adhuc supererat, ut cerebralem apparatum, utpote sapientiae, humanitatis & probitatis, ita amentiae, furoris & sceleris sedem & instrumentum, curatio-ri subjeceremus scrutinio. Capitis igitur integumentis & mitra aponevrotica circumcisis & ablatis, calvariaque ope ferræ pre- cisa & divulsa, duram meningem fornicato cranio arcte adha- rentem & jam denudatam, conspeximus flaccidam & magnope- re demissam, helvolo colore tinctam valculis suis majoribus, immo sinu longitudinali superiori penitus exangvem; qua ab- scissa, cerebri hæmisphæria, pellucida sua tunica arachnoidea obducta, fere spectanda præbuerunt mirabiliter subsidentia & quasi d-prespa, luride purpurascens valculis gyrorum inter- valla perreptantibus sanguine spoliatis. Ipsa substantia inci- dendo explorata erat valde compacta, recentem & bene sub- actam casei maslam referens; corticalis in rutilum vergens, medullaris albidisima & propter pervadentium vasorum ina- nitatem hinc illine quasi poris pertusa. In calloso corpore erat chorda sic dicta longitudinalis Lancifii acute impressa. Ad penetralia vero Cerebri cum perventum erat, ventriculos la- terales vidimus circumundique compresos, plexus choroideos exinanitos, aquilam naturalem profligatam, thalamos nervo- rum opticorum ab impendente pressione deformatos, septum lucidum in fornicum limine ruptum & sinistrorum distortum, glandulam pinealem a suis cruribus solutum & eminentiis qua- drigeminis adpresum, ventriculum tertium valde coarctatum, aquæ ductum Sylviæ impervium; subversis vero & relevatis Hæmisphæris, inoffensas discernere licuit origines nervorum

cerebralium, pariter ac communem observare vasorum & sanguinum in basi encephali, quod neque fissum neque fractum, exinanitionem. Mirabamur ad stuporem usque, quo tanti tamque vasculosi visceris fere profuderat sanguis; verum enigma mox solutum, dum tentorio, quod supra modum naturalem protuberabat, circumsesto & remoto, Cerebelli vices percontari datum eset. Tota nempe Cerebelli moles, cruxi copiosissime in basi ossis occipitis congesto immersa jacuit. & circumclusa. Portentosam istam effusionem eiusque fontes, progressus & effectus ut tanto exquisitius indagare liceret, lobos cerebelli sensim & caute susollere & cruxi spongia exhauste tentavimus; & quam eheu nosmet & adstantes obstupefactos tenuit horrenda partium subjacentium strages, tam infanda & incredibilis, quam hucusque quantum quidem novimus, inaudita & invisa. Medulla enim oblongata abscissa, & tota fere quanta in liquamen spissum, tuscum, purulentum resoluta evanuerat; corpora igitur pyramidalia inferiora penitus destructa, superiorum vero & olivarium superne tantum in confinio protuberantiae annularis, remanserant tenuissima & quasi præmorsa vestigia; ventriculus quartus in immensam profunditatem ita lateraliter erosus & colliquefactus, ut eius locum occupaverat caverna deformis, quæ, usque ad valvulam magnam cerebri extensa, crux ultra uncias duas continuisse affirmabatur. Hinc ab utroque ventriculi latere, a dextro dilatatus & paulo posterius, a sinistro angustius & anterius, absunita & quali excavata erat substantia cerebelli ibidemque reperiundus truncus arboris sic dictæ vitæ, quæ livore præsertim sui corticis gangrenam ingruentem satis superque indicabat. Radices nervorum facialis (duri) acustici (mollis), vagi, lingualis, glosopharyngei, & recurrentis Willisi prorsus abolitæ. Exstantissima autem efficacissimaque causa tanti sanguinis profluvii, quod in totam non solum laticis cerebralis masam, verum etiam in universum, quamvis remotiorem, vasorum syste-

ma

ma, communem induxerat ja^ctura^m, in sinistra potissimum hæ-
st arteria vertebrali, ne latum ungvem infra coniunctionem
eius cum sodali suo pro formanda arteria basilari, oblique
perrupta & detruncata; quacum proxime conjuncta erat dis-
junctio & dilaceratio, tam arterie inferioris cerebelli juxta
eiusdem ab art. vertebrali ortum, quam arterie spinalis poste-
rioris, que vix ab art. inferiori cerebelli enata, discidium a
suo subierat trunculo; mirum igitur, quod arteria vertebralis
dextra cum suis propaginibus, in tam violenta sinistrorum
vasorum perturbatione, salvæ remanserint & integerrimæ.
Quanta vero sanguinis copia ex hisce profusa esset vasorum
rupturis, dijudicatu erat perdifficile; siquidem quoad magnam
partem in specum se demiserat vertebralem, cuius idcirco fa-
ta, quatenus substratam materiam concernunt, breviter per-
stringere jam convenit.

§. 7.

Ulteriorem autem, cui commemorata medullæ oblongatæ
& vasorum vertebralium dissolutio præberent ausam, medullæ
spinalis perscrutationem ut ad rem apposite absolvere contin-
geret, columnam vertebralem, quantum pro ratione temporis
& instituti fieri potuit & debuit, omnibus, quæ illam cinge-
rent, partibus mollibus denudatam, articulatum perlustrare &
recludere, inclusamque medullam membratim pervestigare con-
stituimus. Cum vero in eo primarius rei cardo verteretur,
ut perspectum esset & exploratum, an ligamentosæ vertebræ
primæ cum condylis ossis occipitis juncturæ, vel forte reli-
quarum vertebrarum nexus, a violentis ferreæ, qua collum
furibundi hujus & vehementissime juxta palum sese ja^ctitantis
sceleronis erat revinctum, armillæ percusionibus magis vel
minus essent in perniciem interiorum partium luxatæ vel per-
turbatae, singula Atlantis vincula, ligamenta scilicet Articularia

con-

condylorum, membranas annuli tam anterioris quam posterioris, & ligamentum vertebræ primæ proprium summa diligentia examinavimus; adeo vero tenaciter adstricta & inviolata reperimus, ut omnem nostram exspectationem superaret illibata eorumdem firmitas. Eadem integratatem sustinere vila sunt retinaula, quæ Atlantem cum Epistrophœ conjungunt, scilicet ligam vertebræ 2:æ alaria, & membranæ ligamentoæ laterales simulaque processus odontoidei ligulæ, tam recta media quam transversa; vaginalis autem ejusdem dentis apparatus, insignem in sinistro latere subierat rupturam. Ligamenta reliquarum vertebrarum colli, & in his fasciæ longitudinales omnibus communes, tam anteriores quam posteriores, ligamenta intervertebralia, interspinalia & intertransversalia ne bilum quidem a justo suo tramite deflexerant. Misericordia igitur hisce, ad alterum investigationis nostræ membrum, quod in medulla povidenda versaretur, procedimus; ad cuius adyta ut aditus nobis suppeteret, cunctas colli vertebrae levigatum, ligamentosis compagibus circumundique perfectis & solutis, amputare & a se invicem caute separare studuimus, quo peracta ipsam medullam spinalem, intra suam a dura meninge cerebelli descendentem capsam, a medullæ oblongatae superiori sede ad tertium vertebrarum intervallum continuata abscisam vidi mus, resolutam & denigrato cruento circumfusam; quo etiam radices tam anteriores quam posteriores nervorum cervicalium 1:mi, 2:ii & 3:iii, præruptas fuisse intelligitur. Ab intervallo vero tertio ad infimum vertebrarum colli & deinceps continua serie ad juncturam vertebræ 7:æ & 8:æ dorfi, solida quidem & indisoluta latuit medulla, ast jam gangrenam concipiens, & a sanguineo, quod duram vaginam, quantum ossa concederet theca, impleverat atque distenderat, diluvio mirum quantum hucusque, nervorum tamen radicibus illevis, coacta, angustata & cœlata. In hoc autem termino cesaverat cruentis inundatio; nec infra illum ulla medullæ infectio alia

alia visa, quam generalis & medullæ & integumentorum usque ad caudam equinam trajæcta inflammatiuncula.

Reliquam corporis in primis musculosam compaginem quod tandem attinet, toros torulosque muscularum teretiores & ab uberiori astuantis sanguinis susceptione turgidiores, solitoque idcirco rubidiores deprehendimus. Interim tamen quam diutissime cohaesionem & firmitatem suam, quamdiu in Theatro Anatomico quotidie paululum calefacto, cultro & scrutinio myologico mutuli particulatim pedetentimque subjicerentur, mirabiliter sustinere videbantur, haud secus ac condimento quodam putredinem avertente fuisse imbuti. Tela cellulosa subcutanea livoribus substrata sanguinolento sero abundabat. Osium & ligamentorum conditionem ne minime quidem detrimentis vel permutationibus vidimus obnoxiam.

§. 8.

Atque sic sectione nostra legali, quæ tot non minus horrenda quam incredibilia ob oculos poluit corporis exitia, a nobis, summo stuporis & detestationis sensu tactis, ad finem perduto in supremam, quæ in pulvrisculo tam sordibus oris & narium rejectaneis, quam squalori ventriculi & Duodenii immixto rigorose cognoscendo & explorando collocari debuit, curram jam erat studiose nisu incumbendum. Facile namque erat intellectu, maximum in eo momentum esse ponendum, ut vera & genuina indoles adeo peregrini & suspecti pulveris, tanto curatori & prudentiori subjiceretur disquisitioni, quanto probabilius esset opinio mox concepta, iomitem & ignitulum incendi, quo & instrumenta cibaria erant consumta, & ad extremam usque ferociam excitata mens conflagraverat, in hoc eodem potissimum situm fuisse furture. Sordidam igitur vomitu egestam & ex oris, narium & faucium recessibus elicitem

citam faburram, quæ uncias circiter VII implebat, quin immo colluviem ventriculi & duodeni itidem repositam, variis, quæ in hunc finem adhiberi solent, experimentis subjecimus. Sic omnium primo portiunculam ex una faburræ rejectæ uncia, cum dimidia parte liquaminis gastrici mixtam & affuso lacte saporatam, feli circumforaneo, in separato loco per diem detento & post perpesam diei famem edacissimo propinavimus; qua devorata, vix dum tres præterlapsæ esent horultæ, atrocissimis cruciatibus & vomendi conatibus adflictus, miserrimam cum pertinacissimis luctatus convulsionibus, occubuit mortem. Deinde ructatas cruditates ex antris oris & faecium coacervatas, separatimque squalidam ventriculi & duodeni fentinam in tres æquales dividimus partes, quibuscum, diversis & quidem simplicissimis modis, sequentia fecimus pericula. Prima faburræ rejectæ portio modico furni calore exsiccata & contrita, lamellæ ferreæ candefactæ & pruniæ iupositæ injiciebatur, quæ accensa & sensim deflagrans, funum evolvit mox spisum, nigricantem & odorem carnis suillæ aslatae, quam procul dubio horrendam vitæ suæ fabulam ingresurus nuperrime co-mederat, parum æmulantem; paulatim vero albescensem & nidore alliato nares offendentem, carbone brunneo residuo. Prima iterum gastrici squaloris portio, simili modo arefacta & combusta, caliginem transfudit tenuem, initio coriorum tostorum suffimini (hanc inani conjectura ab immixtis rafuris tuniceæ villolæ ventriculi derivandi) haud ablimilem, mox vero allium sativum redolentem, remanente exigua crux nigricante. Alteræ faburræ toties commemoratae portioni affudimus aquæ fontanæ puræ atque frigidæ quartarium, quem in vasculo vitro diligerenter spatula lignea versare, moderate conturbare & in fiscello porcellano percolare tamdiu perseveravimus, donec pulvrisculus elotus fundum peteret, quo subsiduo, aquam turbidam supernatantem cum suis fordibus caute deliquare studuimus & repetitis vicibus eluere, quamdiu pulverulentæ

lenta observaretur subsidentia. Præcipitatus vero pulvisculus rufus elutriatus & depuratus tandemque siccatus & statera medica pensitus grana IV fere implebat; subilem referebat arenulam albicantem, inodoram; microscopio inspectus, partculis angulosis micantibus constare videbatur. Prunis inspersus lumen emisit incanum & alliaceo nitore saturatissimum; laminæ cupreæ, ignitis carbonibus instratoe immisitus & combustus, maculam nigrum laminæ inustam rehquit; fumus autem, bracteo cupreo supra pulveris struem suspenso exceptus, maculam amplam albidam impresit; quæ quidem omnia, ad normam præceptorum chemicorum, arsenicalem pulveris naturam abunde confirmarunt. Eandem exacte gastricum liquamen in balneis aquæ frigidæ pertractandi, methodum adhibuimus, donec abstesta & elota pulvis subsederat, que mundata & siccata non nisi granum cum dimidio in lance æquabat; de cetero prunis admotus simillima edidit Arsenicalis stirpis testimonia. Tertiæ, quæ adhuc restabat, saburræ particulæ spiritus frumenti frigidi quartarium assidimus eo consilio, ut experimento erueretur num forte spirituosa alluvies, in qua arsenicum ægrius disolvvi habetur, majorem pulvisculi copiam deponeret; Neque spes & exspectatio nos defellit; nam perfecta lotura, colatura & elutriatione sordium, non semel sed repetitis vicibus, pulverulentum obtinuimus residuum, præcipitato lavaci aquosi simillimum, exsiccatum grana quinque superans, quod tamen igni expositum videbatur paulo fragrantius & alliaceum odorem cito citius diffundens. Gastrici itidem liquaminis spirituosa elotto, quæ innatantia tunice villosæ ramamenta mirabiliter densavit & extricavit, eodem fere recidit; grana nempe duo purissimi arsenici, quod omnibus numeris in igne genuinam suam naturam redarguit, speratum periculo nostro successum tribuerunt. Hisce igitur sane simplicissimis experimentis, tam certe, quam quod certissime edoisti suimus, grana septemdecim cum dimidio in rejectis & intra oris con-

finia retentis purgamentis, in ventriculi autem & duodenī grecio non nisi grana septem adhuc indisoluta remansisse; quibus viginti & lesqui quattuor granis si superaddatur forte dupla arsenici portio, quæ aut a gastrico succo & humore salivali, propter innatum calorem & saponaceam indolem, quin immo summam a concitatio & tandem antiperistaltico ventriculi mouu promotam conqaslationem, mirabili solvendi virtute doratis, jam dudum resoluta in humorum maslam reforbitonis via intraverat, aut in tubum intestini jejunii, quem idcirco inflammatum vidiimus, chymo involuta jamjam invaderat, aut vomitionibus (quarum tamē nullam mentionem injecerunt oculares & adstantes testes). jam dudum erat rejecta, haud vana colligitur suppuratione, celebratum sceleronem ultra septuaginta Arsenici albi grana, priusquam in scenam opprobrii prodierat, clandestino hausiu ingurgitasse; qua itaque persuatione muniti, subtiliora & magis artificiosa, nec nisi in dubiis veneficiorum casibus congrua experimenta, quæ recentiores Jurisprudentiæ Medicæ Auctores commemorant & commendant, hac occasione, ne momentorum mole obrueretur nostra nihilominus effusa investigatio, mittere suique pretiis habere duximus consultum.

§. 9.

Verum enim vero superest, ut nostram de causis adeo repentinæ necis adeoque portentosi nobilissimarum partium exitij, tam proximis quam remotis, sententiam breviter & quasi summatim exponamus. In quo cum plurima, in corpore delicti omni qua fieri debuit fide & accuratione observata litterisque mandata, momenta & phænonena faciem nobis præferant, non est quod diu deliberemus vel hæreamus dubii. In confessio namque est, immanissimum, de quo sermo hucusque injectus, scelerum fabrum & humani generis monstrum, albo Arsenico copiosissime ingestu mortem fibimet ipsi coscivis;

Lo-

Loquitar scilicet effrenatum delirium & furor phreniticus, cui plures aliae actiones hæc, quæ veneno contactis supervenire solent, procul dubio erant adjunctæ, quamvis ab adstantibus non fuerint notatae; significat rapidissima vitæ, absque prævio morbo, extincionem; indicant cutanei corporis mortui livores, capillorum deflvia &c. testantur fortes vomitu rejectæ, quibus cuncti oris, narium & faucium recessus erant obruti; declarant communes oris, fauciū, stomachi, ventriculi, duodenii, jejunii inflammationes, affectiones gangrenosæ & internæ exulcerationes, quin immo contentientes aliorum ad chylofusum pertinentium viscerum contagiones; condocet perspectus sanguinis nigror & dissolutio; communisrat inflammatoria totius sensioris oppugnatio, confirmant manifestæ veneni reliquæ, quo in canalibus & receptaculis alimentariis prensare & evolvere contigit; obsignant tandem experimenta, quibus pulveris reperti veram indolem & deletricem vim aperire & detegere licuit. Tantum vero abest ut ab hisce recitatis interiorum partium incendiis & turbis, quantamcumque ad vitam funditus evertendam sustineant efficacitatem, repentinam hauc necem in hoc prorsus complicato casu unice & solum deducere conveniat; ut potius multo magis præsentanea & absolute lethalis mortis causa in summa hæreat cerebri commotione & subsidentia, in ventriculorum cerebri, ibidemque reperiundarum partium insigni conturbatione; in vasorum vertebralium ruptura & vastissima sanguinis in quartum ventriculum, fosas occipitales & totam fere medullæ spinalis vaginam effusione, in medullæ oblongatae & supremæ medullæ spinalis, originumque plurium nervorum dilaceratione atque destructione, immo in universa cordis & vasorum, intromis cerebralium exinanitione; quæ quidem omnia cum lethiferis Arsenici effectibus conjuncta, evidentissimam absolvunt & profecto maxime commemorabilem portentosæ hujus necis caussam & originem. Interim tamen nos non fugere potest, istam cerebri inmanem

com-

commotionem, vasorum vertebralium rupturam, & medullæ solutionem, vehementissimis, quarum mentionem §'o 1:a incimus, armillati sceleronis jactationibus & capitis ad palum concussionibus totam quantam debet, cuius effrenatæ vehementiæ cum plura conspiraverant incitabula, exæstuans nempe venis iratisimæ affectio indeque progenita bilis in gurgitem sanguinis rejectio & transfusio, larga nuperrimaque spiritus ardantis consumptio &, quæ omnes facile superat stimulos, una instar omnium Arsenici albi devoratio, haud mirum est, turpisimum viuum, rapidissimis viuosi in cerebrum irruentis sanguinis aculeis incitatum & exacerbatum, in phreniticum fureorem & impetuosismos & animi & corporis cito citius incidisse & erupisse motus. Primariam igitur horrendi, quo abominabilis ut scelerum ita tandem ex illis suæ mercedis ipse artifex succubuit, fati causam in efficacitate veneni assumti, variis circumstantiis secundariis promota & accelerata, reponere tanto minus dubitamus, quo magis a fide abhorreat, tantam tamque efferatam homini suboriri & effervescere potuisse ferociam, nisi exuberantisimis exundantissimisque veneni incitamentis & impulsibus exagitatum lucidit sensorum & oppugnatum; quo sic qualemcunque veneficii plus quam memorabilis investigationem absolvimus & dijunctionem.
